

chez, Salmanticenses, Viva et alii communiter (1).

60. Prælati regulares etiam de potestate ordinaria sibi a jure concessa, possunt dispensare in regulis particularibus, dummodo hoc eis non sit expresse vetitum in aliqua materia. Et ex privilegio etiam Prælati inferiores possunt dispensare in omnibus parvi momenti rebus, aut propriis pro illo conventu, aut frequenter contingentibus: Peirin. Castropal. et alii (2).

61. Quoad autem potestatem delegatam dispensandi, notanda sunt: 1. Quod quicumque ordinariam habet potestatem, potest eam aliis delegare, ut communiter Suarez, Castropal. Pontius, Salmant. et alii (3). Potestas ordinaria ea est, quæ officio, sive dignitati annexa est, ut dicitur *Tract. n. 34. An autem exspirat nec ne morte delegantis; affirmatur si facta sit per modum commissionis in casu particulari, et cum res etiam integra est; et tunc dispensatio stricte est interpretanda, quia tunc uti odiosa habetur, ex cap. 1. §. 1. De filiis presbyt. Dummodo non sit concessa ex motu proprio Superioris, aut in corpore juris non inserta sit, ut in Decretali, etc. aut dummodo non concedatur ob commune bonum, aut in favorem aliquus communitatis. Si autem dispensatio concessa sit per modum gratiæ, tunc non expirat morte delegantis; et tunc large interpretanda est (4): tunc igitur in dubio an adsit causa sufficiens, an non pro dispensatione, bene potest delegatus dispensare, ut dicunt Cajetanus, Sylvester, Sanchez, Salmaç. Tapia, Granada, etc. (5).*

62. Notandum 2., quod in iis legibus, ubi apposta est clausula, *Donec dispensetur*, possunt prælati inferio-

(1) Lib. 1. n. 490. v. Item potest, et lib. 3. n. 288. — (2) L. 1. n. 494. — (3) n. 490. v. Et in his, et 493. — (4) n. 493. — (5) n. 492.

res semper dispensare, ut dicunt Cajetanus, Suar., Bonac., Salmant. Castropal. etc. (6).

63. Notandum 3., quod delegatus non potest subdelegare nisi cum expresse sibi concessum est, aut sit delegatus a principe, aut a pontifice, *cap. fin. §. 1. De offic. et potest. deleg.*, aut cum est delegatus ab ordinario prælato ad universitatem causarum. L. 1. §. *A<sup>a</sup> ab eo, ff. Quis et a quo* (7).

64. Notandum 4., quod habens facultatem universalem dispensandi cum aliis, potest dispensare etiam cum seipso: ita communiter Cajetanus, Laym., Castrop., Salmant., Bonac. etc., cum s. Thom. 2. 2. q. 185. a. 8. *in fine* (8).

## PUNCTUM II.

*Quot modis potest cessare dispensatio.*

65. et 66. Cessat I. Causa cessatione.  
67. II. Revocatione.  
68. III. Renuntiatione.

65. Dispensatio tribus modis cessat. I. Causa cessatione II. Revocatione dispensantis. III. Renuntiatione dispensati.

66. Et I. Cessat dispensantis *cessatione causa*. Hoc tamen intelligitur 1., si cessat causa motiva, seu finalis, si cessat totaliter; si enim cessat sola causa impulsiva, aut si motiva non cessat omnimode etiam durat dispensatio. Intelligitur 2., dummodo dispensatio non sit sortita effectum suum, et dummodo dispensationi non sit addita aliqua commutatio gravaminis. In dubio autem an cessaverit omnimode, valet dispensatio quia in possessione reperitur (9). Intelligitur 3. Si dispensatio concessa sit sub conditione, saltem subintellecta, si perseverat causa: prout præsumitur ita concessa quoties causa non esset perpetua. Etenim si dispensatio est

(6) n. 490. v. Notand. — (7) L. 1. n. 493. — (8) Vide lib. 3. n. 249. v. Ultimo et n. 256. in fin. — (9) Lib. 1. n. 495. v. Quær. et n. 496.

data absolute cum conceditur ex causa pro perpetua habita (v. g. propter morum honestatem, ob ministrorum paucitatem, propter parentum paupertatem, etc.), tunc probabile est, quod etiam cessante causa finali non cesset dispensatio, quia semel per dispensationem sublata legis obligatione, hæc non redit, nisi iterum a superiore imponatur; ita Suarez, Pontius, Castropal., Sa, Salmant., Laym., Perez, etc. contra Bonac., Trullench. etc. (1). Et quoties dispensatio absolute concessa est, illa ne cessat quidem, quia semel jam ea quis usus fuerit, v. g. qui dispensatus fuit a voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua conjuge etiam durat dispensatio, ut ad secundas nuptias transeat, modo illa non data sit oro illo solo casu (2).

67. Cessat II. dispensatio *revocatione dispensantis*, qui (nota hic) peccaret si eam non revocaret, cum jam cessaverit totaliter causa finalis. Contra etiam peccaret (licet tantum venialiter), si eam sine causa revocaret; sed valida esset revocatio (3). Hic quaeritur, an cesset dispensatio morte dispensantis? Respondetur: si dispensatio absolute concessa est, aut cum clausula, *donec revocetur, aut ad arbitrium sedis apostolicæ, vel episcopi*, tunc non cessat. Cessat contra, si apposta est clausula, *donec nobis placuerit, aut ad nostrum arbitrium*, dummodo res executioni non incoeperit mandari (4).

68. Cessat III. *Renuntiatione dispensati*, dummodo sit acceptata a superiore, alias subditus semper poterit ea uti, licet numquam ea usus fuerit (5).

## CAPUT VII.

DE LEGIS CESSATIONE, INTERPRETATIONE, ET EPIKEIA.

69. *An cesset finis legis.*  
70. *De libris prohibitis.*

(1) Lib. 1. n. 496. — (2) Ibid. v. ult. — (3) N. 497. — (4) Ib. v. No tand. — (5) n. 498.

71. *De legibus municipalibus.*

72. *De interpretatione.*

73. et 74. *An declarationes indigeant promulgatione.*

75. *De interpretatione doctrinali.*

76. *Regule interpretationis.*

77. *De epikeia.*

78. *Quando lex extenditur a casu ad casum.*

69. Circa cessationem legis magna exagitur quaestio; an, cessante fine legis adæquato (nempe totali) in particulari, cesset lex. Certum est, quod si cesset in communi finis totalis, cessat lex; cum enim hæc inutilis reddita sit, amplius non obligat. Ita s. Thomas (6). Et tunc sufficit cuiusque, si sciat probabiliter, quod lex in communi cessaverit (7). Si autem cessat finis adæquatus tantum in casu particulari, tunc oportet distinguere: si cesset *contrarie*, nimirum si lex redderetur nociva in eo casu, aut saltem valde difficilis, tunc etiam communis est sententia, eam non obligare. Dubium igitur restat ad videndum, an cessante fine adæquato in particulari, et privative, nempe si lex pro illo casu particulari, aut pro illa persona esset inutilis. Sententia communior est, quod etiam obliget; quia quamvis cesset damnus particularis, non cessat tamen periculum in communi hallucinationis, quod quisque in casu proprio decipi potest. Ita s. Thomas (8). Sed oppositum tenent plures graves dd., nimirum Cajet., Sylvester, Panorm., Angel., Valent., Sa, Cardenas, Ledesm., Granada, Henriquez, Hurtad., et Tamb. cum Na. Abb., et Comit., et Salm. ac Viva vocant etiam satis probabilem, dicentes, quod sicuti cessante fine in communi cessat lex pro omnibus; ita cessante fine in particulari, cessat lex in particulari, cum æque in ambobus casibus lex reddatur inutilis. Et quemadmodum cessante fine in uno tempore, cessat lex pro illo, licet non cesset pro alio

(6) 4. 2. q. 403. a. 4. ad 3. cum aliis communiter. — (7) Vide Salm. de leg. c. 4. n. 4. — (8) 2. 2. q. 154. a. 2.



tempore; ita cessante fine in uno casu, cessat lex pro eo, licet non pro aliis. Et ideo dicunt communiter admitti, legem fraternæ correctionis non obligare ubi non speratur fructus. Et ut hæc sententia locum habeat, semper sic intelligenda est, dummodo certe in illo casu nullum subsit periculum hallucinationis, quod quidem semper inest in casu allato a s. Thoma, fornicationis nempe, de qua dumtaxat loquitur loco citato. ●

70. An possint legi libri prohibiti, cessante privativa fine legis in particulari, et præciso scandalo. Nonnulli admittunt, sed penitus dico negandum cum Suar., Castr., Sanch., etc., quia in hoc nunquam cessat adæquate finis legis, ne in particulari quidem; cum finis prohibitionis sit non solum ut vitetur damnum quod a lectione timetur, sed præstetur Ecclesiæ obedientia in rebus tam perniciosis. Ad hæc accedit præcipuus finis, ne detur causa petulanti ac pravo ingenio scriptoribus obnoxias doctrinas et novitates disseminandi (1).

71. Denique notandum, quod leges peculiari alicujus loci non cessant propter legem generalem, nisi in ista expresse eis derogetur, vel saltem per clausulam, *Non obstante quacumque lege particulari*.

72. II. Quoad interpretationem sciendum est, aliam dici authenticam, aliam doctrinalem, aliam usualem. Authentica fieri potest vel ab ipso legislatore, aut ab ejus successore, aut a superiore. Doctrinalis est qua mens legislatoris manifestatur, et potest fieri a quocumque doctore. Usualis est illa quam usus recepit.

73. Hic dubitatur, an declaratio, quæ fit a papa circa aliquam legem indigeat promulgatione, ut obliget. In hoc distinguendum. Declaratio altera est *pure talis*, altera *non pure talis*, et potius dicenda est interpretatio. Declaratio *pure talis* est ea, cujus sensus a principio est imbibitusclare in lege, v. g. si dubitatur an sub no-

(1) Lib. 4. n. 499. v. ult.

mine filii veniat filius naturalis tantum, an etiam adoptivus, et legislator declarat intelligi tantam naturalem, tunc declaratio est de sensu clare imbibito in lege. Declaratio *non pure talis*, seu interpretatio, est illa, cujus sensus non est imbibitusclare in lege sed circa illum plures adsunt opiniones, et solum percipitur ex argumentis: v. gr. an sub nomine *patris* comprehendatur avus, et an sub nomine *mortis* intelligenda sit mors civilis, perpetuus carcer, etc., cum recurratur ad impropriam significationem.

74. Hoc posito, dicimus cum Suarez, Castropal., Vasq., Salas, Salm., Holz., Lacroix, Suppletor., Sporer, declarationem *pure talem* non opus habere promulgatione, sed obligare omnes ad quos illius pervenerit notitia, cum non sit lex nova. Declaratio non pure talis indiget promulgatione, ut obliget, quemadmodum quælibet alia lex quia hæc habetur tamquam nova lex, sicut dictum est n. 4. hujus Tract. Hinc infert Suarez, et Palaus ( qui citat Roncag., Salas, et Lorea ) (2), quod si declaratio quæ fit a legislatore sit de sensu clare imbibito in lege (juxta exemplum allatum de filio naturali, et adoptivo), non indiget promulgatione. Contra vero declaratio sensus obscure imbibiti in lege (juxta exemplum de avo, si veniat nomine patris), indiget promulgatione, ut obliget, quia illa statuit aliquid novi, quod de se non erat imbibitum in lege. Et idem dicunt Suar. et Palaus (3) de declaratione, quæ fit non ab eodem legislatore, sed a successore, quia mens primi legislatoris non potest esse clare illi conscia, prout ipsimet legem ferrent; quæ propter ad illam declarandam (licet sit de sensu in lege imbibito) debet recurrere ad argumenta et interpretationes, quæ uti leges novæ putantur, ac proinde opus habent promulgatione, alias declaratio

(2) Suar. de leg. 1. 6. c. 4. n. 3. Palaus eodem tit. dist. 5. p. 3. §. 4. n. 5. — (3) Suar. loc. cit. et Palaus ibid. n. 2.

non habebitur uti authentica, sed solum uti doctrinalis (1).

75. Interpretari autem leges cumque permissum est, modo fiat juxta regulas et sensum a dd. magis receptum; cum enim occurrunt dubia, et non possit commode adiri legislator, necesse fuit, hanc sapientibus tribuere potestatem leges interpretandi, ut habetur ex c. 2. *De privileg. in 6.* Id commune est (2). An autem liceat legem interpretari, cum in illa prohibetur quælibet interpretatio: Castrop. (3), cum Salas et Sa, putat, talem prohibitionem valere tunc, si interpretatio fuerit frivola et futilis; sed merito contradicunt Salmanticenses (4), quia futilis et frivola interpretationes ex seipsis sunt repellendæ, atque prohibita: quare tunc omnes interpretationes doctrinales sunt illicitæ, prout prohibita sunt a Pio IV. interpretationes super Tridentinum: ac propterea cum (ut refert Bened. XIV. *de synodo l. 13. c. 24. n. 2.*) sub Clemente VIII. compilatus esset septimus decretalium, ideo vulgatus non fuit, qui cum in eo inserta fuissent multa decreta Tridentini, aditus daretur violandi constitutionem Pii IV, quia vetantur privati homines (sunt verba Bened. XIV *loc. cit. S. Concilium Tridentinum commentari, atque interpretari, cum id s. cardinalium c. ejusdem concilii privative sit reservatum*; ea concilii decreta interpretando, quod impediri non posset, si liber ille in lucem emissus fuisset, siquidem sicut cætera decretales sunt canonistarum interpretationes arbitrio expositæ, ita Tridentini decretis tunc evenisset. Dicunt tamen complures doctores, hac prohibitionem Pii IV, non esse vetitas omnes interpretationes incidenter factas, aut oretenas, aut manuscriptis: sed tantum ex professo per glossas,

(1) Vide opus nostrum l. 3. n. 4027. v. Hic notandum, ubi agitur. An in cœnula liceat sumere parum casei. — (2) Lib. 4. n. 200. et Palaus loc. cit. §. 2. n. 4. — (3) Loc. cit. n. 6. — (4) De leg.

scholia, et commentaria typis data; sic enim usus talem prohibitionem interpretatus est. Et concordet in hoc sunt Castropal. cum Salas, et Barbosa, et Salmant. cum Rodriguez, Reginaldo, et Henriquez (5) Hujusmodi sunt etiam quæ statuta fuerunt ab Innoc. XIII in bulla *Apostolici ministerii*, pro reformatione cleri hispanici edita, et confirmata a Bened. XIII. in bulla *In supremo* pro toto orbe terrarum; nam præfata bullæ, ejusque decretorum privative commisit interpretationem explanationem, et declarationem, *quatenus dubietas aliqua aut difficultas emergerit*, præfata cong. conc.

76. In interpretandis legibus sequentes traduntur regulæ. 1. Attendenda est mens, et finis legislatoris, et ratio legis. 2. In dubio interpretari debet pro valore actus. 3. Lex strictè interpretanda in odiosis, large in favorabilibus. 4. Verba legis accipienda sunt in sensu proprio, nisi aliquid absurdum, vel iniquitas in legislatore sequeretur. Sensus proprius est ille, quem naturaliter ex communi hominum acceptatione et usu verba præferunt. Analoga (quæ plura significant) accipienda sunt pro principali analogato, ut advertunt Palaus, et Lacroix (6). Ita pariter in legibus pœnalibus, et præceptivis: sed in favorabilibus solet attendi etiam proprietas civilis verborum, v. g. sub nomine *legitimi* veniunt etiam legitimi, et hujusmodi alia. Ad dignoscendum an lex sit odiosa, an favorabilis, attendendum est motivum propter quod lex lata est (7).

77. III. Quoad epikeiam (quæ est præsumptio saltem probabilis, quod legislator in aliqua rerum circumstantia noluerit obligare), illa locum habet, quoties lex redderetur nociva,

c. 4. n. 23. — (5) Palaus ib. n. 2. Salm. dict. n. 23. — (6) Palaus tr. 3. d. 5. p. 3. §. 4. n. 7. et Lacroix l. 4. n. 924. — (7) Pal. l. c. §. per tot. 3.



aut valde onerosa, et observatu difficilis (1)

78. Restat demum ad inquirendum an lex debeat extendi a casu ad casum, ubi eadem currit ratio. Divisa est in duas partes sententia, quæ inter se quidem discrepare videntur, sed revera unum dicunt: si quidem ambæ conveniunt in hoc, quod licet lex se extendat de casu ad casum, in quo eadem ratio ita adest, ut si illa non extenderetur, posset culpari legislator aut injustitiæ, aut imprudentiæ, et in eo casu locum habet illud axioma: *ubi eadem est ratio adæquata, ibi eadem currit legis dispositio*. Et hoc evenit I. in *correlativis*, v. g. sicut sponsa potest ab obligatione sponsalium liberari, si sponsus longe proficiscatur. *Cap. de illis, de spons.* ita etiam potest sponsus. II. In *æquiparatis*, ut sunt electio, et præsentatio ad beneficium. III. In *connexis*, ut sunt diaconus et subdiaconus. IV. In *contentis*: v. g. cui conceditur testari, conceditur posse codicillos conficere: cui prohibentur, ova, prohibentur etiam lactinia. In præmissis igitur casibus currit extensio, et currit etiam si lex esset pœnalis, aut correctoria, quia reg. 49. *de Reg. jur. in 6. Odiâ restringi, favores conveniunt ampliari*. Sapienter Suarez, Bonac. et alii dicunt, regulam illam valere, quoties legis dispositio extenditur ex interpretatione congruentiæ, non autem cum debet sic interpretari ex *necessitate*: tunc enim potius dici debet casum illum comprehensum esse in lege, quam legem extendi ad casum. Cæterum (regulariter loquendo) leges pœnales non extenduntur præter casum expressum v. g. excommunicatio lata in cogentes mulieres ingredi monasteria, non procedit in eos qui cogunt viros, et idem dicendum in casibus in quibus

(1) L. 4. n. 201. et vide Salm. c. 4. a. 44. et 45. et Pal. lib. c. §. 2. n. 3. qui cum Suarez vocat commune.

non currit eadem adæquata ratio, prout superius dictum est (2).

#### CAPUT VIII.

##### DE CONSUETUDINE.

79. *Conditiones ad consuetudinem requisitæ.*

80. *Ad desuetudinem.*

81. *An lex reprobet omnem consuetudinem futuram.*

82. *Usus est legis interpret.*

83. *An lex revocet omnem consuetudinem factam.*

79. Oportet discernere consuetudinem quæ legem inducit, a consuetudine quæ legem abrogat, quæ potius desuetudo dicenda est. Sed de prima hic prius loquendo dicimus: ad hoc, ut vim legis habeat consuetudo, tria exposcit; introductionem nempe a communitate factam, tacitum principis consensum, et legitimam præscriptionem. I. Igitur oportet, ut consuetudo non sit a particularibus, sed saltem a majori parte alicujus communitatis legem statuere potentis, licet actu talem potestatem non habentis, sit introducta; quia tunc consuetudo vim legis ex tacito principis consensu suscipit, ut docent Salmant. cum s. Thoma (3). II. Requiritur tacitus consensus principis, qui adesse præsumitur, quoties ille cum posset eam vetare, diu eam tolerat; ita Angelicus (4). III. Ut adsit debita præscriptio; pro qua requiruntur 1. tempus *diuturnum*, saltem (ut dictum est *num. 11.*) decem annorum: 2. tempus *continuum*, quia si intra tempus præscriptionis interruptatur consuetudo a majori parte communitatis: aut si princeps animadvertit in eos, qui eam introduxerunt, tunc etiam interruptitur consuetudo: 3. requiruntur actus multoties repetiti, ac libere, non ex timore, nec ex ignorantia, puta si populus falsa crederet adesse legem, quæ revera non adesset: dum ait Laym. (5) cum Suar. Abbat. et Mo-

(2) Vide l. 1. n. 200. v. Quæritur hic. — (3) Vide Salm. de leg. c. 6. n. 6. — (4) l. 2. q. 97. a. 3. ad 3. — (5) l. 4. tr. 4. de leg. c. 24. n. 2. ad 4.

lin. non posse populum adstrictum esse novæ obligationi, nisi certe intendat illam voluisse sibi imponere. Quare in dubio utrum consuetudo introducta sit ex obligatione an lex devotione, et an sub gravi, vel sub levi, hoc inferri licet ex circumstantiis: v. g. si consuetudo onus grave afferat; et per tempus diuturnum fuerit constanter observata; tunc præsumendum est introductam, et continuatam animo se illi sub gravi voluisse obligare (1). Et ita dicimus tenendam esse consuetudinem abstinendi a lactiniis diebus vigiliarum (2); et consuetudinem Regularium, et monialium recitandi divinum officium (3).

80. Hæc dicta sunt de consuetudine, sed ad desuetudinem legem abrogantem, duæ requiruntur conditiones: 1. ut sit rationabilis, nimirum ut non sit contra jus divinum; 2. ut sit legitime præscripta, uti habetur ex *cap. Licet, de consuet.* (4). Sed in hoc notandum 1. quod ut desuetudo legi deroget, non sufficit intentio legem transgrediendi, sed expresse intentio requiritur legem delendi; itaque etiam cum mala fide lex præscribitur ut dicunt Castrop. Bonac. Laym. Salmant., etc. (5). In quo advertit Layman eos, qui introducunt consuetudinem adversus legem, semper peccare usque dum lex non sit perfecte præscripta; reliquos autem interim non peccare, si introducta consuetudine utantur, ita Layman (6). Notandum 2. quod quamvis ut aliqua positiva prohibito (ut dictum est) et novum jus introducatur, requiritur intentio abrogandi legem, nihilominus, si lex diu bona fide, nempe ex legis ignorantia, non observetur: ait Laym. (7) cum Suarez, Azor, Glossa, etc. decennio etiam

(1) V. Opus nostrum l. 1. n. 107. ad IV. — (2) Lib. 3. n. 1009. v. Dubit. III. — (3) Lib. 4. n. 144. — (4) Laym. c. 24. de leg. cum. 4. — (5) L. 4. n. 107. ad IV. — (6) Loc. cit. n. 4. — (7) Dict. c. 24. n. 11.

præscribitur, etiam ignorante principe; præsumitur enim princeps tacite approbare quamlibet consuetudinem, quæ legitime præscripta est (8). Hoc tamen intelligendum, nisi princeps positive resistat cuilibet consuetudini legem adversanti (9).

81. Effectus igitur desuetudinis est legi derogare, etiamsi in lege apposta sit clausula, *non obstante quacumque consuetudine*; etenim talis clausula præteritas respicit consuetudines, non autem futuras. Imo probabile est, ut dicunt Suarez, Pontius, Bonac., Salmant., etc. consuetudinem abrogare etiam leges futuram consuetudinem contra ipsas reprobantem (10). Si tamen in lege reproberetur qualibet futura consuetudo, tunc distinguendum. Si reprobat uti contraria legi naturali, aut divinæ positivæ, tunc consuetudo nunquam valere potest. Secus autem si reprobat uti irrationabilis respectu temporis, in quo lex humana constituitur, quia suboriente aliqua nova causa potest consuetudo fieri rationabilis, et valere, uti docent DD. communiter (11).

82. Consuetudo potest etiam legem interpretari; et propterea hujusmodi consuetudo dicitur *usualis*, ut superius dictum est *num. 72.* Et huiusmodi est minus temporis spatium, quam præscriptioni. Et regulariter loquendo, omnes leges debent interpretari secundum loci consuetudinem (12).

83. Denique advertendum hic, per leges generales nunquam derogari particularibus loci consuetudinibus jam præscriptis, nisi de ipsis specialis mentio fiat; aut nisi in illis expresse revocetur qualibet consuetudo

(8) Laym. loc. cit. n. 11. et Salm. de leg. c. 6. n. 16. cum Suar. Sanch. Bonac. et communiter. — (9) V. Opus nostrum l. 4. 107. ad V. — (10) L. 4. n. 108. v. Sed quid. — (11) Sanch. de matr. l. 7. d. 4. n. 14. Roncaglia de leg. p. 58. q. III. v. secundo, et Salm. eod. tit. c. 6. cum Suar. Pont. Tapia, etc. — (12) L. 4. n. 108. v. Potest.



do, uti habetur ex *cap. 1. de Consuet. in 6.* Hoc tamen non procedit in legibus, quæ sancuntur ab Episcopis; præsumitur enim Episcopi omnium consuetudinum contrariarum habere notitiam (2). Item advertendum consuetudinem immemorabilem non putari revocatam, nisi fuerit nominatim revocata a lege, prout pluries declaravit S. C. (3).

## TRACTATUS III.

### DE ACTIBUS HUMANIS, ET PECCATIS

#### CAPUT I.

##### DE ACTIBUS HUMANIS.

1. et 2. *Actus hominis, et actus humani.*
3. *De voluntario, et ejus conditionibus.*
4. *ad 6. Quotuplex est voluntarium.*
7. *ad 11. De libero et ejus speciebus.*
12. *Impedimenta actus humani.*
13. *I. De ignorantia.*
14. *II. De violentia.*
15. *III. De concupiscentia.*
16. 17. et 18. *IV. De timore, et quotuplex sit.*
19. *Unde desument bonitatem et malitiam actus humani.*
20. *An actus externus addat malitiam actui interno.*
21. *An dentur actus indifferentes.*

1. Actum est in prioribus tractatibus de duabus regulis actuum humanorum, de conscientia nempe, et de lege: nunc de ipsismet actibus humanis agemus, prius in genere, deinde in specie, de peccatis nimirum.

2. S. Thomas (1) docet, quod actus qui ab homine procedunt, bifariam considerari possunt; in genere naturæ, et in genere morum. Primo modo considerati *actus hominis* appellantur, hujusmodi sunt omnes actus quocumque modo fiunt ab hominibus. Secundo modo dicuntur *actus humani*, et sunt illi qui procedunt ex libera humanæ voluntatis electione. Hinc omnes actus qui præveniunt rationis usum, sunt actus hominis, sed non humani. Duo requiruntur ad constituendum actum humanum, ut capax sit boni, aut mali meriti, ut nempe sit voluntarius, et liber.

(1) 4. 2. q. 1. a. 4.

3. Et prius agendo de voluntario, dicimus quod sit *illud, quod procedit a principio intrinseco* (nempe non a vi extrinseca) *cum cognitione finis*, ex cujus deficientia homicidium non esset voluntarium illi, qui putans esse feram hominem occidit.

4. Multiplex est voluntarium: 1. Formale, virtuale, habituale et interpretativum. 2. Elicitum et imperatum. 3. Directum et indirectum. Et 1. *Formale* est illud quod exercite elicitur aut imperatur a voluntate. *Virtuale* est quod procedit, et in effectum prodit ex voluntate præhabita. *Habituale* est actus voluntatis semel habitus, et numquam retractatus. *Interpretativum* dicitur actus ille, qui fit sine advertentia, sed etiam fieret a voluntate, si agens in talibus circumstantiis positus sibi de liberandum esset.

5. Item 2. *Voluntarium elicitum* est omnis actus voluntatis proxime a voluntate productus, ut amare, vel odio habere, eligere aut refellere aliquid, cupere, etc. *Imperatum* est omnis actus, qui ex voluntatis imperio exercetur ab aliis potentiis sive externis, sive internis, ut meditari, ambulare, videre, etc. Hic advertendum cum s. Thomas (4) quod quilibet actus sive elicitus, sive imperatus a voluntate specificatur a fine propter quem exercetur; quare illi actus qui eundem finem habent quamvis materialiter sint diversi, tamen eandem induunt speciem, v. g. si quis jejunit, orat, concionatur ob Dei gloriam.

(2) N. 409. v. Sed quæritur 4. — (3) ibid. Quæst. 2. — (4) 4. 2. q. 1. a. 3

omnes isti sunt actus charitatis. Contra si unus idemque sit materialis actus, si a voluntate elicitur ob diversos fines, ipse diversas induit species.

6. Item 3. *Voluntarium directum* est quod est volitum, et intentum ex se ipso: *Indirectum* est volitum in causa voluntarie posita, jam præviso effectu, licet non intento. Ut igitur voluntarium indirectum imputetur ad culpam, primo requiritur, ut prævideatur effectus: secundo, ut agens teneatur impedire talem effectum; nam cum non tenetur impedire illum et non intenditur, non peccat causam honestam apponendo, licet prævideat effectum de se illicitum ut, pluribus casibus progressu Operis explicabitur.

7. Præterea (ut dictum est) actus humanus, ut sit capax boni, aut mali meriti, necesse habet, ut sit liber. De fide est, contra Calvinum, adesse in homine etiam post Adæ peccatum, liberum arbitrium, ut definitum est a Tridentino *sess. 6. can. 5.* Hic distinguendæ sunt plures species libertatis: 1. *libertas a coactione et a necessitate.* 2. *Libertas contradictionis et contrarietatis.*

8. Et primo alia est *libertas a coactione*, quæ dicitur *spontaneitatis*, alia est *a necessitate*, quæ dicitur *indifferentiæ*. Prima importat, ut actus sit spontaneus, id est violentiæ expers, quamvis sit necessarius, ut est amor Beatorum, qui necessario amant Deum, sed sponte, quin vim patiantur, etenim docet s. Thomas (1) cum s. Augustino, nos erga ultimum finem habere quidem libertatem voluntatis, quæ non repugnat cum necessitate naturalis inclinationis: sed non habere libertatem arbitrii, sive contradictionis, quæ importat velle, et nolle, ut mox explicabitur. Libertas a *necessitate*, seu indifferentiæ, importat non solum immunitatem a vi, sed etiam a necessitate; ita ut homo possit non ponere actum, qui dicitur *contradictio-*

*nis*, aut ponere actum contrarium, quæ dicitur *libertas contrarietatis*, ut paulo post subjungetur.

9. Secundo sciendum est abesse libertatem *contradictionis*, quæ dicitur *exercitii*, nempe posse operari, et non operari: aliam esse libertatem *contrarietatis* etiam *specificatiōnis* dictam, nimirum duos contrarios actus ponendi, ut amandi, aut odio habendi.

10. His positis, dicimus, ut hominis voluntas possit cum bono, aut malo merito operari, debet esse libera libertate *indifferentiæ*, quæ sola verum libertatis nomen meretur, nempe non solum ut a vi, sed etiam a necessitate sit immunis. Hoc probatur ex Tridentino *sess. 6. can. 4.* ubi dicitur liberum esse homini gratiæ assentiri, aut dissentiri. Item probatur ex propositionibus Baii, et Jansenii proscriptis: Baius prop. 39, ex damnatis a S. Pio V. et aliis Pontificibus, dixit: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit.* Prop. 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et prop. 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.* Et cum dixit Baius *damnabiliter*, loqui intendebat de actibus deliberatis, etiamsi necessariis, dum ipse jam admittebat (uti legitur in prop. 75.) actus indeliberatos, nempe sine voluntatis consensu, non reputatos peccata. Jansenius in prop. 3. ex 5. damnatis ab Innoc. XI. dixit: *Ad merendum, et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit, immunitas a coactione.*

11. Notandum hic quod radix libertatis *indifferentiæ* oritur ab *indifferentia judicii*, quæ nihil aliud est quam deliberatio boni, aut mali quod in actione consideratur. Hæc judicii indifferentia non jam constituit libertatem, sed ut dictum est, est radix libertatis, ut postea possit libere et indifferenter voluntas elici.

(1) Quæst. de verb. s. 4.